

terra afficitur, ergo & ea quæ ex terra nascuntur, ergo & cibi,  
 quibus homo & animates alitur. Quod si homo à Cometa affi-  
 gitur, ergo & corpus hominis, idq; aperta vi caloris: & si corpus  
 cur non & animus, occultauit Comete luditur? Afficitur enim  
 animus late temperamento, ut ait Gal. Quare temperamento  
 depravato, fiunt animi motus, & ita respub. violatur. Ego ve-  
 rò affirmo, Aristotelis dictum facile probari posse. Satis  
 vir doctissimus intelligebat, quanta vis foret in Astrono-  
 mica obseruatione. Nec ignorabat quām incerti sint,  
 et fallaces annales, in quibus prodigia & horum exitus  
 Arist. pru dens. imperitæ multitudinis relata digesti sunt. Incerta quæ  
 sunt, vir grauis nō attingebat. Quibus vel humanum tol-  
 lebatur arbitrium, vel Dei maiestas & prouidentia viola-  
 batur, ea cuncta neglexit. Quare in vna ipsa natura ma-  
 nens, de rebus naturalibus naturaliter differebat. Et sa-  
 nè quid aptius potuit dici (si sit Cometa igneus) quām  
 ea fieri post Cometā, quæ ab æstu aeris proficiscuntur:  
 ventos igitur ac siccitatem prædixit. Tu autem non vi-  
 des, quibus artis initia contraria sunt, ijs esse contrarias  
 rationes & conclusiones: Homo Christianus à prouidē-  
 tia totus, & recte pendet. Rem quę physica est, tu nomi-  
 nas Diuinam & eius rei, cuius omnes homines ignora-  
 mus naturam, ortū, & materiā, & caussas effectrices vis  
 finem, usum, & euentus per se dubios tenere. Et cū te fu-  
 giat (ut nos omnes fugit) numinis decretum, audes af-  
 feuerare, Deum ista permitere, Deo id gratum esse, Deum  
 id velle ac porrò postulare. Habes ad hæc varijs locis,  
 nullum Cometam non infaustum fuisse: & esse Diuinæ iræ nuns-  
 tum, quo fit ut signum sit obseruandum, quia signum refe-  
 ratur ad aliud. Dixisti, non fuisse felicē, ut ait Plinius, Augu-  
 sti cometam. Ac tales nuncios, à Deo irato immitti, Ensem  
 adhæcis, pendulum super urbe Hierosolymorum, fuisse ve-  
 rum portentum. Demum concludis, metuere à Cometa,  
 pium esse ac salutare. Quæ omnia ego particulatim ex-  
 pendam, si prius tamen propugnaculum tuum soris-  
 tem